

Johann Friedrich König Christian Bergemann

Ius Legis Impletum ab eo, qui est Finis Legis

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740039482>


Druck Freier  Zugang



R. U. Med. 1664

Johann Friedrich König

Verf.: Christian Bergemann



12.24

JUS LEGIS

Impletum ab eô, qui est
FINIS LEGIS,

Quod

ex loco classico Rom. 8, 3. 4.
deductum,

Sub auspiciis

CRUENTI REDEMPTORIS,

Consentiente Venerandâ Facultate Theo-
logicâ, in Academiâ Rostochiensî,

PRÆSIDE

VIRO, Maxime Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo,

DN. JOHANNES FRIDERICO Röntg

SS. Theologiæ D. Prof. Primario, Consistorii
Ducalis Assessore, & Superintendente Meck-
lenburgico,

Præceptore, Promotore ac Hospite suo
plurimum observando,

In Auditorio Magnô

die 6. Aprilis

publicè ventilandum proponit

CHRISTIANUS BergeMann

Neo-Ruppinenfis Marchicus,

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1664.

75

PHYSICIS

Inaugural Dissertation
PHYSICIS

CHRISTIANI BIEDENTORNI

DR. JOHANNES ERIBERTUS KÖHN

22. Theologie Dr. Carl Farnow, Consistorial

Deane, theologie & superintendant des

Univ.-Bibliothek
Rostock

CHRISTIANUS BIEDENTORNI

PHYSICIS



IN NOMINE JESU!



Ppetit tempus, quô
exequiæ eundæ Vitæ
pro nobis emortuæ, nō
simul nostræ, quæ inte-
gra servanda semper, pie-
tati. Quam nihil accen-
dere magis ac inflamma-
re poterit, quàm devora
ac sedula cruentæ Redemptionis meditatio.
Quæ quanquam nullo prorsus ex animis dimit-
tenda tempore sit, istam tamen anni partem,
quam memoriæ meritissimi Goëlis sacram esse
voluit pia antiquitas, vendicat sibi præcipuè:
Quare ut officio, & pietati debitæ, quantum
divinitus concessæ permittunt vires, faciamus
satis, explicare hâc vice constituimus insignem
locum ex Rom. 8. v. 3. 4. *JESUS CHRISTUS,*
quem laborare fecimus in iniquitatibus nostris, pro-
speret labores nostros ex vulneribus suis beatificis!
AMEN.

A 2

Dictum

Dictum Rom. 8, 3. 4.

Textus Originalis	versio Latina	Germanica Lutheri.
v. 3. Τὸ ὄν ἄδύνα- τον ἔ νόμος, ἐν ᾧ ἡθε- νοι διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμφσας ἐν ὁμοιώμα- τι σαρκὸς ἁμαρτίας καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἁμαρ- τίαν ἐν τῇ σαρκί.	Tremellio-Juniana v. 3 Nam quæ legis erat impotentia, quum viribus esset de- stituta in carne, Deus suo ipsius Filio misso in forma consimili carni peccato obno- xia, idq; pro peccato, condemnavit pecca- tum in carne.	v. 3. Denn / das dem Gesetz unmöglich war/ (sintemal es durch das Fleisch geschwächer war) das that Gott und sandte seinen Sohn in der gestalt des sündlichen Flei- sches / und verdampte die Sünde im Fleisch durch Sünde.
v. 4. Ἴνα τὸ δικαίω- μα ἔ νόμος πληρωθῆ ἐν ἡμῖν πῖς μὴ καὶ σάρκα περιπατήσιν, ἀλλὰ καὶ πνεῦμα.	v. 4. Quò justifi- catio legis in nobili impleretur, qui ne- quaquam in carne ambulamus, sed in spiritu.	v. 4. Auff daß die Gerechtigkeit / vom Gesetz erfordert in uns erfüllet würde / die wir nu nicht nach dem Fleisch wandeln / son- dern nach den Geist.

CAPUT I.

Textus cum præcedentibus connexionem,
& succinctam analysin Logicam
proponens.

§. I.

TRactaverat Gentium Doctor proximè præcedente capite
à v. 14. usq; ad finem, eleganti antithesi absolutissimæ per-
fectionis à Lege requisitæ, & summæ perversitatis naturæ
suar, necessarium illud doctrinæ cœlestis caput, de sancti-
ficatione justificatorum imperfecta, & multis infirmitatibus invo-
luta in hac vitâ, jamq; patheticâ conclusionè caput istud finierat, di-
cens: *Miser ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore mortis?* Gra-
tias

tias ago DEO per JESUM CHRISTUM, Dominum nostrum, &c. quàm novum exordiretur emphaticò introitu: Nihil est ergò jam condemnationis in his, qui sunt in Christo Jesu.

§. 2. Scopus scilicet Apostoli hic est, consolari hominem renatum luctantem cum motibus involuntariis, quod quanquam hi molesti admodum & damnabiles insuper sint, efficere tamen haud possint, ut ii, qui per fidem veram in JESU CHRISTO, omnes infirmitates nostras, consummatissimæ suæ obedientiæ merito te- gente, sunt, condemnentur, & actu mortis æternæ pœnam incur- rant. Addit rationem, quia *lex Spiritus vitæ in Christo Jesu, liberum reddidit renatum à lege peccati & mortis.* Quid per legem Spiritus vitæ in CHRISTO JESU intelligat, patet ex antithesi νόμος πνεύ- ματος, & νόμος ἀμαρτίας καὶ θανάτου. Per legem peccati autem innuitur jus & reatus peccati; & per legem mortis, jus & finale dominium mortis. Ita ergò vi oppositionis, per *Legem Spiritus vitæ in CHRISTO JESU*, significatur directio, influxus, & vis vivifica Spiritus S. perfectum pro peccatis nostris à Christo so- lutum lytrum, per Verbum & Sacramenta nobis applicantis. Ut sentus verborum illorum hic sit: *Influxus ille Spiritus Sancti vivifi- cus, quò operatur in regeneratione nostri vitam gratiæ, per Christi meri- tum nobis partam, facit, ut connata mihi vitiositas, cujus reliquiæ adhuc in me super sunt, non inferat mihi actu damnationem.*

§. 3. Atq; hæc est illa liberatio à jure peccati & mortis. Quam postmodum expositione totius doctrinæ de nostri ἐλευθέρωσι, illustrat; id quod in præsentî textu præstat, in quò nobis sistit I. *Causam moventē externam*, quæ est impossibilitas modificata salutem ex lege adipiscendi. II. *Causam efficientem missionis ἐλευθέρωσι*, quæ est DEUS mittens Filium ad peccatum expiandum. III. *Subje- ctum ἐλευθέρωσιν præstans*, quod est DEI Filius proprius, missus in similitudine carnis peccati IV. *Formam*, quæ est condemnatio pec- cati in carne. V. *Finem*, qui est vel *Cujus*, nempe δικαιοσύνη & νόμος in nobis impletio: Vel *Cui*, ambulantes scilicet, non secundum carnem, sed secundum Spiritum.

CAPUT II.

Continens textus exegetis Philologicam & Theologicam.

§. 1. v. 3. Τὸ δὲ ἀδύνατον ἔ νόμος. Vocula δὲ *connexiva* est v. 3. & 4. cum præcedentibus, & simul *redditiva causæ*, cur lex Spiritus vitæ in Christo Jesu renatos, quantumvis cum infirmitatibus suis adhuc luctantes, liberos præster à lege, seu jure peccati vel mortis. Articulus τὸ, ἀναφορικός est, remittens nos ad caput præcedens septimum, in quo *impossibile hoc*, ratione originis suæ, graphicè descriptum.

§. 2. Per νόμον non intelligitur *lex mentis*, ut vult Cardinalis Toletus ad h. l. sed *Lex DEI*, cui se mente servire dixerat v. ult. c. 7. quam prædicaverat esse sanctam, justam & bonam, v. 12. & spiritualem, quæ scilicet hominem omni ex parte spiritualem requirat, exigatq; non externam tantum, sed internam etiam Spiritus obedientiam, ut nihil carnale sit, aut sentiaturin viribus nostris, quod vel aliò inclinet & trahat, vel impediatur, quò minus totus homo sit spiritualis, & gradus dilectionis sit intensissimus.

§. 3. Ἐν ᾧ ἠρθέει ἀπὸ τῆς σαρκός. Τὸ ἐν ᾧ quidam exponunt per quatenus, vel in quantum. Alii Causaliter. Ita Paraphrastes Syrus usurpans conjunctionem causalem ἕως & Lutherus noster. Utrovis autem modò exponas, eodem res recidet. Dicitur verò Lex *infirmata veluti ex morbo*, (id namq; poscit emphasis verbi ἠρθέει) *per carnem*, hoc est naturam, connatà illà peste infectam & depravatam. Innuitur ergò impossibilitas salutem ex lege adipiscendi non *absoluta* sed *modificata*, ostenditurq; quod ex Lege non est vita, id fieri (ut rectè Hunnius ad h. l.) non legis culpâ, quæ perfectè impleta habet annexam promissionem vitæ, sed vitio carnis seu depravatae naturæ nostræ, cujus corruptione & imbecillitate lex impeditur, quò minus vitam conferre possit peccatoribus.

§. 4. Ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν. Idem est, ac si diceret ἰδιον υἱὸν uti infra v. 32. eum vocat, ubi ἰδιον ὁponitur κοινῶν, *communi*, quem admodum etiam Pater dicitur ipseus ἰδιος h. e. *proprius Pater* Joh. 5. v. 18.

v. 18. Oportet ergo filiationis hujus rationem profus singularem, esse, quæ alia esse nequit, quàm æterna illa & ineffabilis generatio. Non ergò Christus Filius Dei est per *Creationem*, *adoptionem*, *Officialem rationem*, aut *singularem dilectionem*, ut Sociniani impiè comminiscuntur: Hæc enim ei communia sunt cum creaturis. In quibus ergo à creaturis non distinguitur, secundum ea proprius DEI Filius dici nequit.

§. 5. Πέμψεις. *Mittens* est Pater, uti ex appositò correlato patet; & solus quidem, quia à solò eò Filius emanat & produci- tur. Temporalis siquidem missio divinæ alicujus personæ, funda- ta est in æternâ ejus productione. Unde quia Filius à solò Patre, per æternam generationem est, idcirco etiam quâ DEUS à solò Patre mittitur. Nusquam etiam in Scripturâ legitur, Filium Dei, quâ Deus est, à Spiritu Sanctò missum esse vel mitti. Dico, quâ Deus: Loca enim Es. 48, 16. 6, 21. de Christò saltè, quâ homo est, intelli- genda sunt. Ac proindè missio hæc ratione non operibus ad extrâ, sed operibus ad intrâ accensenda erit.

§. 6. Ipsam missionem Apostolus Gal. 4, 4. exprimit verbò ἔξαπέδαν, quod ἐμφραπικώπειν est, ac notat emissionem, Filii Dei, ex luce illâ inaccessiblei, in hunc mundum, ex communi Sacrosanctæ Trinitatis consiliò factam. Est autem missio hæc non *localis & separativa*, sed *illocalis ac γενική*: neq; *auctoritativa* s. *potesta- tiva*, sed *æconomica* s. *dispensativa*. Neq; accuratè loquendo hæc missio *passivè* accepta, præcise ipsa Filii incarnatio est; quomodo post veteres nonnullos Lombardus loquitur lib. 1. sentent. dist. 15. sed est actus incarnationem antecedens; missus enim primò est, & de- indè carnem assumpsit.

§. 7. Ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας. *En pro eis* ponitur, uti Lyc. 7, 17. 10, 3. &c. Dicitur verò Christus *venire in similitudinem carnis peccati*, h. e. in carnem similem carni peccatrici, seu peccato obnoxia. Sæpè enim in Scripturâ inter duo substantiva, in statu regiminis posita, quando scilicet substantivum unum regit alterum in genitivo Casu, prius loco adjectivi ponitur, ut 1 Cor. 1, 21. Gal. 3, 14. Ap. 17, 1. 18, 3. &c. Negataurem ὁμοίωμα σαρκὸς, non *identitatem* naturæ humanæ Christi cum nostrâ *specificam*, quæ heteræ-

heterusiorum, tūm veterum, tūm recentiorum error est; sed saltem identitatem accidentariam in tertio peccati: Unde etiam non dicitur simpliciter: *in similitudine carnis*; sed *in similitudine carnis peccati*.

§. 8. Remanet ergo similitudo saltem Christi naturæ, cum nostra peccato obnoxia, & quidem (1) *propter sponte assumtas infirmitates*, sicut historia Evangelica ostendit, quod scilicet Christus esuriverit, sitiverit, defatigatus fuerit: quæ affectiones quanquam in se inculpabiles sint, lapsum tamen hominis primi insequuntur, ut pœnæ peccati. Huc spectat, quod Christus dicitur *tentatus per omnia καὶ ὁμοίωτα*, veruntamen absq; peccatō Hebr. 4. 15. (2) *ob suscepta sponte in se peccata humani generis*: quū enim nostra peccata, per imputationem Christi peccata facta fuerint, idcirco non equidem *æqualis* carni nostræ peccatrici; sic enim *inbasivè* peccator fuisset; sed *similis* tamen ei factus est, dum eum in nostri locum surrogatum Pater in iudiciō suō, pro peccatore omnium maximō reputavit 2. Cor. 5, 21.

§. 9. Καὶ περὶ ἀμαρτίας. Hæc & sequentia verba crucem fixerunt Interpretibus. Inde tot sententiarum nata divortia, quæ enarrare omnia, nostri instituti ratio haud fert. Pleriq; commentatorum, verba hæc ad sub sequens verbum *κατήχευε* referunt. Chrysofomus, Theodoretus, Theophylactus, quos sequuntur Estius, Tolerus, Cornelius à Lapide hic, Flacius in Clavi sub voce Peccatum Col. 860. *περὶ ἀμαρτίας* condemnare exponunt *per peccati condemnare*, sicut Joh. 16, 9. Spiritus S. dicitur mundum *ἐλέγχειν περὶ ἀμαρτίας*, h. e. arguere, convincere peccati: Peccati verò condemnari juxta hanc expositionem peccatum dicitur, dum quasi sceleris reum peragitur, quod non solum fuerit suprā modum peccans, augendo prævaricationes in humanō genere, verum præterea manum miserit in Christum innocentem; ut eam ob causam meritissimè condemnandum fuerit atq; è mediō tollendum. At non immerito de hâc expositione judicant alii, eam subtilem argutiam esse.

§. 10. Alii peccatum accipiunt *de sacrificiō*, seu hostia pro peccatō, & huc trahunt dictum 2. Cor. 5, 21. ubi dicitur, *Christum factum esse peccatum*, hoc est, ut illi quidem exponunt, victimam piacularē pro peccatō. Quam expositionem etiam cum aliis duabus

bus Augustinus affert lib. 3. contra duas epp. Pelag. c. 6. & alibi. Nec ab ea recedit B. Hunnius in Comment. ad h. l. Atque sic peccatum diceretur condemnatum per *Christum peccatum*, h. e. victimam pro peccatō factum. Et certē non insuetum est Scripturæ, peccatum pro sacrificio accipere, quod pro peccatō expiando offertur Conf. Ex. 29, 14. 30, 10. Lev. 4, 3. 6, 25. 7, 5. 7. Num. 8, 8. 1. Sam. 6, 3. 4. Pl. 40, 7. Ef. 5, 10. Of. 4, 8. Verūm ut in Hebræo Veteris Instrumenti codice, hæc acceptio obtineatur, in Novo tamen Testamento non ullus dabitur locus, ubi vox ἀμαρτίας pro victimâ piaculari posita sit. Nec poterit objici locus 2. Cor. 5, 21. quod enim ibi non opus sit à significatione propriâ peccati ad metonymicam recedere, patet ex oppositō ejus, justitiâ nempe, quam credentes fieri Apostolus dicit per id, quod Christus peccatum pro illis efficitur. Neque insuper hætenus ullus ex N. T. allatus est locus, in quō præpositio *ὡς* cum genitivo *per* significet.

§. 11. B. Lutherus Tom. IV. Lat. f. 54. quem etiam sequitur Glassius Phil. S. lib. 3. tract. 6. p. 581. per peccatum intelligit Christum, in quantum is pro nobis peccatum factus est 2. Cor. 5. ult. Verba Lutheri hæc sunt: *Ita peccatum meum, ne me accuset & damnet, damnatum est per peccatum, id est per Christum crucifixum, qui factus est pro nobis peccatum, ut justitia DEI per illum fieremus.* Eo etiâ inclinât Cornelius Mussus Bituntinus Episcopus in Comment. ad h. l. non ineleganter scribens: *Peccatum hoc, quo peccatum damnatum est, Christus est, juxta illud: Eum, qui non noverat peccatū, pro nobis peccatum fecit. Sicut enim serpens æneus, quia serpentis formam habebat, licet venenō careret, serpens tamen dicebatur: Ita Christus, quia peccati formam habuit, formam scilicet humane carnis peccatrici, licet peccatō careret, peccatum dictum est.*

§. 12. Simplicior nobis videtur expositio ea, quæ verba hæc *ὡς* ἀμαρτίας refert, non ad subsequens verbum κατένευε, sed ad antecedens participium πέμψας, & præpositionem *ὡς* per propter reddit. Præpositio autem *ὡς* & apud prophanos passim, & apud ἑσπερίους scriptores, pro propter usurpatur. Vid. Luc. 3, 19. 19, 37. Ioh. 10, 33. Actor. 15, 2, 23, 6. 29. 26, 7. Consentit etiam Paraphrastes Syrus, qui & ipse voces *ὡς* ἀμαρτίας, ad verbum

B

πέμψας

πρωτης refert, ceu indicativas causæ finalis missionis Filii DEI, ac proinde vertit: **מִלְּפָנֵי הַחַטָּאִת** propter ipsum peccatum. Ita etiam distinguit Versio Belgica ex decreto Synodi Dordracenæ non ita pridem edita, textum Græcum ita reddens: Want 't gene de Wet onmogelyc was / derwyle sy door het Blesch krachteloos was / heeft Gode / sinen Sone sendende in gelychheyt des sondigen Blesches / ende (dat) voor de Sonde / de Sonde verordeelt in het Blesch. Quæ tamen in eo à nobis dissentit, quod τὸ **ἕνεκα ἁμαρτίας** exponit per pro peccato.

§. 13. Sed & elliptica est oratio in hoc versu, uti nemo non videt, qui textum originale accuratius inspexerit. Suppletur autem diversimodè. Camerarius & post eum Schmidius in notis ad N. T. ellipsin in initiò textus ponunt, ac verba τὸ **ἀδύνατον** pro **Ἀλλὰ τὸ ἀδύνατον** posita esse statuunt. Nos ita **ἔλλειψιν** suppleendam esse censemus: τὸ γὰρ ἀδύνατον **ἔνόνυ**; Etenim id, quod legi impossibile erat, quia infirmata erat per carnem, DEUS suo ipsius Filio misso in carnem, similem nostræ peccato obnoxie, idque propter peccatum expiandum, **ἐτέλεσε** s. **ἐποίησε**, præstitit vel effecit. Sicuti B. Lutherus: Das dem Befehl unmöglich war / sintemahl es durch das Fleisch geschwächet ward / das that Gott. Quem etiam sequuntur Dietenbergius in versione Germanica, nec non versio Belgica, quæ anno 1582. prodiit. Similis ellipsis est Apoc. 19, 10.

§. 14. **Κατέχευε τὴν ἁμαρτίαν ἐν σπιρί**, in carne Filii, scilicet suspensâ & mortificatâ in cruce. Quomodo autè dicitur DEUS Pater condemnasse peccatum in assumtâ & crucifixâ Filii sui carne? Patebit hoc ex explicatione verbi **κατέχειν**, quod 1. significat sententiam damnatoriam ferre, damnationi adjudicare, quæ acceptio in Scripturâ usitatissima, & propè unica est. 2. supplicium de fonte sumere, exemplariter punire reum, ut 2. Pet. 2, 6, quemadmodum etiam **κείμα** sumitur pro ipsâ poenâ & supplicio s. plaga Rom. 2, 3. 1. Cor. 11, 29. 2. Pet. 2, 3. In eadem significatione reperiuntur Hebræa **שָׁפַט** 2. Pet. 20, 9. **שָׁפַט** Es. 6, 6. 12, 12. Prov. 19, ult. & **שָׁפַט** Ezech. 23, 10.

§. 15. Condemnavit ergò Pater cælestis in carne Filii sui peccatum, dum eundem Filium suum peccatum pro nobis factum
2. Cor.

2. Cor. 5, 21. nostri locò condemnavit, & κατὰ ἄστυν maledictum pro nobis fecit, Gal. 3, 13. dum pœnas nobis debitas, omnes, à Filio proprio, vade prò nobis factò severissimè exegit Ef. 5, 4, 5, 7. dum de ipsò peccatò, latà de eò, veluti tyranno, & injustò dominatore, sententià damnatorià, pœnas sumpsit, idque jure & viribus occidendi privavit, & cum Filio suo crucifixit. Quò spectat emphaticus locus; 1 Pet. 2, 24. *Qui peccata nostra ipsemet ἀνήνεγκε, sursum tulit in corpore suo super lignum.* Quem locum Paraphrastes Syrus elegantissimè circumscribit: *Bajulavit* (ἕρπευ portavit ceu grande onus ac pondus) *peccata omnia & ascendere fecit illa cum corpore suo ad crucem.* Et animadvertit in hoc textu Flacius elegantem hypotyposin, quasi Christus pingeretur levans, trahens aut sublevans in crucem peccata nostra, veluti si executor justitiæ (si quidem magna cum parvis componere licet) gestet in tergo reum suspendendum, ac cum eo in patibulum ascendat, ut eum ibi suspendat; sic etiam Christus dicatur peccata nostra in crucem sublevasse, ac ibi ea crucifixisse, idque in corpore suo, aut super corpus suum, cui ea Pater per imputationem alligaverat, & quasi Latroni jugulando in crucis patibulo imposuerat. Confer similem locutionem Col. 2, 14.

§. 16. v. 4. *Ἰνα ὁ δικαίωμα τῆ νόμου πληρωθῆ ἐν ἡμῖν.*
Δικαίωμα est *Jus Legis*, quod duobus comprehenditur capitibus: uno perfectam atque omnibus numeris absolutam obedientiam exigente: alterò, adversus transgressores pœnas decernente. At impossibile erat prius, sequebatur ergò exactio pœnæ promeritiæ. Quam ne lueremus, intervenit Christus in carnem missus, & peccato, quod damnationem nobis intentabat, condemnato in carne, satisfactionem Legi Divinæ agendo & patiendo perfectissimè præstitam per fidem imputat nobis. Atque hoc est *Ius legis* impleri in nobis.

§. 17. Quod verò hic intelligatur impletio *δικαίωμα*, quæ sit per justitiæ & obedientiæ Christi imputationem, non per habitum justitiæ nostræ inhærentis, ut Toletus, Cornelius à Lapide, Salmero, Concilium Tridentinum, Bellarminus, aliique ex Pontificiis volunt, id patet ex eo, quia (1) connatum nostræ naturæ peccatum legem infirmat, ut quia ea impleri à nobis nequit, idcirco

nec justificare nos possit, uti constat ex versu proxime præcedente.
 (2) Ea insuper impossibilitas implendi Legem, ex hoc versu colligitur, quæ non nisi per interventum Christi, propter peccatum nostrum incarnati, & pro peccato nostro damnati, auferri potuerit.
 (3) Δικαίωμα istud non dicitur impleri à nobis, sed in nobis; non per nos, sed per Christum, peccatum pro nobis factum (4) Patet hæc impletio Legis, quæ per imputationem alienæ justitiæ nostra fit, ex locis parallelis Rom. 4. 5. 7. 8. 22. seqq. 5. 18. 19. 10. 4. Phil. 3. 9.

§. 18. Τοῖς μὴ κτ̄ σίγκα πεπαισῆσιν, ἀλλὰ κτ̄ πνεῦμα.
 Verba hæc non sunt redditiva cause, non inferendæ damnationis, uti Pontificii quidam exponunt, sed sunt descriptiva subjecti, à proprio renatorum attributò, ceu ad oculum patet, tum ex structurâ ipsorum verborum hic & in v. 1. quum non dicatur, δικαίωμα legis impleri in nobis, quia secundum Spiritum ambulamus, sed qui ambulamus, ἕως πεπαισῆσιν &c. tum ex hujus ambulationis secundum Spiritum imperfectione, causante ἀδύνατον illam legis, ut per eam justificari impossibile sit. v. 3.

C A P U T III.

Complectens præcipua exegeteos περίσματα.

περίσμα I.

Ex Lege homini lapsò non est justitia & salus.

§. 1. Opponuntur enim in textu explicatò Lex & meritum Filii DEI missi in hunc mundum ad redemptionis opus conficiendum, in terciò δυνάμεις & ἀδυναμίας. Et expressè dicitur, ἀδύνατον Legi fuisse præstare liberationem, adeo ut DEUM oportuerit missò in specie carnis peccato obnoxia Filio, id præstare. Huc spectant loca parallela: Christus vobis factus est otiosus, quicumque per legem justificabimini, à gratiâ excedistis Gal. 5. 4. Si per legem est justitia, igitur Christus frustra mortuus est; Gal. 2. 21. Conf. Rom. 3. 28. 4. 3. 6. Gal. 2. 16. 3. 10. 11. Eph. 2. 8. 9.

§. 2. Atque observandum imprimis in Epistolis ad Romanos & Galatas est, quod Apostolus in negotiò justificationis & sal-
 vationis,

vationis, DEI gratiam, Christi meritum, fidem utrumque apprehendentem, Legi & operibus Legis, & hæc illis tanquam *ἀσύνετα* & incompatibilia perpetuo opponat. Conf. Rom. II, 6. Adeoq; Lex ac opera Legis neque *per modum meriti*, ut communis Pontificiorum sententia est, neque *per modum medi applicantis* Christi satisfactionem, (ut Bellarm. vult lib. 2 de Indulgent. c. 7. & 12. ubi ait, *per nostra bona opera applicari nobis precium sanguinis Domini*) in *ἀποτέλεσμα* illud, quod est iustitia & salus æterna, influunt. Nam Scriptura simpliciter omnem efficientiam in negotio justificationis & salvationis Legi derogat. Neque nullã alia media, meritum Christi nobis applicantia, novit Scriptura, quam ex parte DEI quidem, Verbum & Sacramenta, ceu media offerentia & conferentia; ex parte hominum verò, fidem nixam Christi meritò, ceu medium recipiens.

§. 3. Neque proficiunt hîc distinguendo inter opera ante fidem, & ex fide facta, item inter opera Legis ceremonialis & moralis, quasi nempe Scriptura saltem, ex operibus Legis ceremonialis, nec non ex operibus ante fidem, & ex solis liberi arbitrii viribus factis, non item ex operibus Legis moralis, aut ex operibus, ex fide & per gratiam editis, iustitiam & salutem esse neget. Quæ exceptio Bellarmini est 1. de Justif. cap. 19. & aliorum, à nostratibus pridem protrita. Vide Gerhardum T. III. L. de Justif. per fidem §. 151. Confer etiam Heinr. Höpferum disp. 1. de Justif. membr. 2. c. 2. p. 59. seq.

§. 4. Manet itaque, impossibilitatem obtinendi ex Legge iustitiam & salutem, esse absolutam in statu hominis post lapsum. Ad hunc enim restringit istam Legis *ἀδυναμίαν* Apostolus, quãdo ait: Legi id impossibile esse *ἢ ἡδέναι*, in quantũ infirmabatur per carnẽ. Sequitur ergo: Si non esset infirmata per carnẽ, si integer mansisset homo, ac expers peccati inhæretis, qualis erat in statu illo primo, antequam seduceretur à serpente, legem habituram fuisse *δύναμιν* justificandi & salvandi, non quidem ex se, ac per modum causæ meritoriz, sed ex gratuita promissione, ac gratiosã DEI voluntate, quã placuisset DEO obedientiam hominis integri legalem compensare æternã salutẽ.

§. 5. Dixi verò notanter, homini integro, ex lege quidem, at non ex meritò operum legis, vitam æternam obtingere potuisse: Ratio: quia meritum fieri debet, non de alienò, sed nostro. At quicquid obedientiæ præstitisset homo integer DEO, non de suo, sed de alienò, ex viribus nempe in creatione divinitus inditis & collatis præstitisset. Deindè meritum debet esse indebitum: At obedientiam homo integer tenebatur vi naturalis debiti, ceu rationalis creatura, præstare suo Creatori, & si omnia fecisset, nihil tamen sibi promeruisse Luc. 17, 10 Denique meritum & merces inter se habere debent æqualitatem. At inter perfectissimam hominis integri obedientiam, & vitam æternam, ceu inter finitum & infinitum, nulla fuisset proportio. Licet verò, uti dictum, non ex meritò obedientiæ legalis obtigisset homini integro vita æterna, verè tamen ex lege ei obtigisset, quod & locus præfens, uti innuimus, evincit, & tot promissiones, perfectæ legis obedientiæ annexæ. Indè etiam vocatur lex ἐπιτήρησις ζωῆς, *lex ad vitam* Rom. 7, 10. Conf. Rom. 10, 5. Gal. 3, 12. Matth. 19, 17. Luc. 10, 28.

Πόρισμα II.

Lex in statu post lasum, ab homine regenito, justitia inherentis operibus non potest perfectè impleri.

§. 1. Nam si perfectè nunc à nobis impleri posset, utique esset ex lege justitia & salus, uti in præcedente πείραξι dictum. At non potest perfectè impleri, quia infirmatur per carnem, h. e. depravatam nostram naturam, quæ adjacens etiam optimis renatorum actionibus, impedit legem, quò minùs hæc imperfectè servata vitam conferre possit peccatoribus. Hæc itaque connata vitiositas & legem impedit, ut non possit salvare hominem, & hunc infirmat, quò minùs legem implere queat. Conf. caput præced. 7^{mum} ep. ad Rom. ubi à v. 14. usque ad finem impedimenta ex carne redundantia, & molimina hujus adversus Spiritum, operosè adducit Paulus. Conf. etiam loca parallela, de impossibilitate implendi legem loquentia Act. 13, 38. 15, 10. Gal. 3, 21.

§. 2. Nec

§. 2. Nec valet exceptio, in locis, pro impossibilitate justificationis ex lege, allegatis, restringi debere illam impossibilitatem, saltem ad irregenos. Contrarium evicerunt Nostrates pridem. Vide Gerh. T. III. L. de lege §. 182. 183. Meisn. Anthropol. dec. 1. disp. VIII. q. 222. seqq. Nec obstat opera DEI esse perfecta: Renovationem esse opus DEI: E. etiam perfectam eam esse: Ergo & nos perfecte renatos, adeoque sufficientibus viribus implendi legem, instructos esse. Distinguendum enim inter opera divina, considerata ex parte agentis, & ex parte patientis vel recipientis; item inter opera DEI, ut in fieri sunt, & ut sunt in esse absolutò. Vide Meisn. l. all. p. 248. seqq. Heinr. Höpfn. de Justif. disp. 4. aph. 6. p. 264. seq. Distinguendum porro; inter posse & velle. Urgendus Canon: *Quid gratia DEI & meritum Christi in renatis operetur, quomodo & quo ordine, statuendum est ex Verbo DEI, non ex argumentationibus à possibili.* Causas ob quas nolit DEUS producere in nobis perfectam renovationem, adducit Paulus Gal. 3, 17. 21. 22. Veteres utuntur hinc Exemplo Cananæorum, quorum reliquæ aliquæ manserunt in terrâ Canaan occupata ab Israëlitis. Vid. Meisn. l. alleg. p. 249. seq. Conf. Hullef. in Brev. extenso super cap. 12. th. 4. p. 173.

§. 3. Dixi verò supra notanter, *justitiæ nostræ inherens operibus non posse impleri perfecte à nobis Legem.* Ut innuerem scilicet, post lapsum superesse aliquam possibilitatem implendi legem, per perfectissimam sc: obedientiam Christi, fide verà apprehensam. Quod enim impossibile est extrà Christum, fit possibile in Christo, & per Christum fide apprehensum. Unde implemus legem DEI, non nostris equidem operibus, quæ longè imperfectissima sunt, sed apprehendendo fide salvificâ eum, qui τὸ τέλος, finis & consummatio Legis est Rom. 10, 4. Atque hinc etiam δικαιοσύνη legis, in textu præfenti, dicitur impleri non à nobis, sed in nobis, per imputationem scilicet perfectissimæ Christi obedientiæ, legi pro nobis præstitæ.

Πόρισμα III.

Redemptor noster est naturalis DEI Filius, & per consequens verus & naturâ DEUS.

§. 1. Contrâ Socinianos duo hic nobis probanda erunt I. Redempto-

demptorem nostrum esse naturalem DEI Filium, & consequenter ac
 II. esse verum & naturâ DEUM. Prius adstruitur ex textu, dum di-
 citur proprius DEI Filius. Argumentamur: *Qui est proprius DEI
 Filius, is est naturalis DEI Filius; Redemptor noster est proprius DEI Filius,
 Ergo.* Major probatur, quia Filium DEI proprium esse, importat
 singularissimam filiationis rationem; generationem nempe ex sub-
 stantiâ Patris, uti supra in exegesi §. 4. evictum; quo sensu etiam
 μονογενῆς υἱός appellatur Joh. 1, 14, 3, 16, 18. 1. Joh. 4, 9. μονογενῆς
 inquam, per μόνην γέννησιν ex substantia Patris ab æternô. Minor
 constat ex textu. Posterius ita probamus: *Qui Filius DEI naturalis
 est, is est verus & naturâ DEUS. Redemptor est Filius DEI naturalis,
 Ergo.* Major constat, quia Filium naturalem esse, includit in gene-
 re communione in ejusdem essentia cum Patre naturali. Ac pro-
 inde, qui Filius DEI naturalis est, is etiam ejusdem essentia erit cum
 Patre naturali, cujus Filius naturalis est: & quidem, quum una &
 indivisa sit generantis & generati essentia, unius ejusdemque nume-
 rô cum Patre essentia cum esse oportebit. Qui autem unius ejus-
 demque numerô essentia est cum Patre, is non potest non esse verus
 & naturâ DEUS. Quæ hæc excipiunt Adversarii, discussa legi po-
 terunt passim apud nostrates B. Gerhard. in exeg. L. de pers. Chr.
 §. 45. & in dispp. Jlagog. p. 223. B. Feuerborn. Antiochorod. disp. 6.
 p. 103. & dispp. seqq. Fasc. 3. p. 281. seqq. Fasc. 4. p. 45. seqq.

§. 2. Non tamen prætereundum hæc, quod ex textu præ-
 senti objiciunt adversarii. Est id *missio Filii in carnem*, quam incom-
 patibilem esse cum verâ Deitate missi putant, quum Dei supremi
 non sit mittere sed mitti. Verum salva res est: Mittitur ut proprius
 DEI Filius, ac proinde ut Patri mittenti ἑμοῦσι. Conf. Joh. 17, 5.
 10, 11, 21, 22, 23. quomodo etiam Joh. 5, 24. ait se missum esse à Pa-
 tre, & hoc non obstante, eò ipsô capite, se Patri suo, quem Ἰδιον
 sive proprium Patrem appellaverat, perfectè æqualem v. 18. & o-
 mnia, quæ Pater agit, agere ὁμοίως, ex æquali scilicet virtute, &
 potentia divinâ v. 19. pronunciat, sibi que parem cum Patre hono-
 rem divinum tribuit v. 23. Missus insuper ab Apostolô in textu no-
 stro dicitur, ut justitiæ divinæ pro nobis satisfaceret: Quod non nisi
 divinæ & infinitæ virtutis opus, ac nemini possibile est, præterquam
 ei, qui verus & supremus DEUS est.

§. 3. Ratio

§. 3. Ratio in contrarium allata, nullius momenti est. Scriptura enim utrumq; dicit: & mittere & mitti supremū DEUM; utrumque ergo verum, & divinā fide acceptandum est. Missio *passiva*, ut sic & præcisè sumpta, nihil amplius importat, præter duo ista: *habitudinem scilicet missi ad eum, à quò mittitur, & habitudinem missi ad terminum, ad quem mittitur*, ut rectè Thomas docet p. 1. qv. 43. art. 1. Neutra $\sigma\chi\epsilon\iota\sigma$ dependentiam aliquam per se infert. Aut si hanc per se inferret, semper inferret eam; quod falsum, quum & æqualis ab æquali, & superior ab inferiori mitti possit. Distinguendum proindè inter *missionem authoritativam sive potestativam, quæ fit secundum imperium*, quâ ratione inferior à superiori mittitur; & *liberam ac æconomicam, seu dispensativam, quæ fit ex mutuo consensu*, & esse potest inter potestate & dignitate æquales. Et hoc modò etiam in divinis mittitur persona à personâ, à quâ procedit. Processio enim missionis fundamentum est. Tantum itaque abest, ut missio hæc Divinitati Messia deroget, ut potius æternam ejusdem generationem, ac summam Divinitatem arguat ac præsupponat.

Πέτομα IV.

Christus verè satisfecit justitiæ divinæ pro generis humani peccatis.

§. 1. Dicitur enim in textu, DEUM Patrem condemnasse in assumptâ Humanitate Filii peccatum. Quomodo intelligendum hoc $\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\kappa\epsilon\iota\mu\alpha$, expositum supra est in evolutione $\epsilon\mu\phi\acute{\alpha}\sigma\omega\varsigma$ vocis $\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\upsilon$. Patet autem è dictis, $\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\kappa\epsilon\iota\mu\alpha$ illud esse actum DEI Patris judicialem, tum contra proprium Filium, peccata generis humani portantem; tum contra peccatum ipsum, in carne illius exercitum. Contra Christum processit hic actus judicialis, in quantum eum, peccatum pro nobis factum, Pater nostri loco condemnavit, inq; condemnato vindictam severissimè exercuit: Contra peccatum verò ipsum, dum latâ de eo, veluti tyranno sententiâ damnatoriâ, pœnas de ipso sumpsit, illudque cum Filio crucifixit.

§. 2. Oppōnenda hæc sunt *Sociniani*, quorum pestilentissimus

mus error est. Christum saltē ideò nostrum servatorem esse, quia salu-
 ris æternæ viam nobis annuñciaverit, confirmaverit, & in suâ ipsius per-
 sona, cum vitæ Exemplo, tum ex mortuis resurgendo, manifestè ostende-
 rit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus, ipse daturus sit: Divinæ
 autem justitiæ, per quam peccatores damnari meremur, neque illum satu-
 fecisse, neque ut satisficeret, opus fuisse. Ita Socinus de servat. part. 1.
 c. 1. seqq. Gemina his habet in prælect. Theol. c. 15. Accinunt
 Smaltzius contrà smiglet. de satisfactione Christi, Völckelius de
 Vera Religione, Schlichting contrà Meisnerum, & cæteri ex hoc
 grege: quibus prælusit Petrus Abailardus, qui vixit circa annum à
 Christo nato 1140. cujus verba recenset Bernhardus Clarævallisensis
 Abbas ep. 190. Conferatur etiam Centur. 12. Magd. c. 5. p. 848. &
 Cæsar Baronius Tom. 12. annal. Eccles. ad annum 1140.

§. 3. Nos pro adstruenda satisfactionis Christi veritate è
 textu nostro, tale depromimus argumentum: *Quem peccatum pro
 nobis factum Pater in iudiciò suò nostri locò cõdemnavit, ut penas nobis de-
 bitas in assumptâ humanitate ipse lueret, & passione ac morte sua, pecca-
 tum ac mortem jugularet, is omnino verè satisfecit pro peccatis humani
 generis. At Christus est is, quem peccatum pro nobis factum Pater in ju-
 diciò suò nostri locò cõdemnavit &c. Ergò &c.* Majorem nec ipsi
 Sociniani negant. Minor constat è dicto nostrò, ejusdemque exe-
 gesi. Exceptionem Socini refutatam vide apud Dominum D. Ca-
 lovinm in Theol. Apost. Rom. p. 305. Conf. etiam loca parallela,
 magno numerò allegata & ab adversariorum strophis vindicata, a-
 pud B. Gerh. Tom. 3. L. de Justific. §. 37. seqq. B. Feurborn. in Anti-
 Ostorod. disp. 32. p. 516. & disp. 33. p. 525. seqq. Stegmannum in
 Photin. Grauer. in dissert. de satisfact. Christi, Brochm. T. 1. Syst.
 Theol. L. de Servatore nostro JESU Christo, c. 1. sect. 12. q. 5. 9. 7.
 §. 9. Dn. D. Calovium in dissert. de Causis mortis Christi.

Πόσιμα V.

*Passio, quam Redemptor in assumptâ Huma-
 nitate sustinuit, ab iratò Deò
 inflicta est.*

§. 1. Bellarminus lib. de anivâ Christi c. 8. operosè demon-
 strare

strare conatur, Christum non pertulisse pœnas damnatorum. Et quia antagonista ejus ex Et. cap. 53. ubi Christus à DEO percussus dicitur, collegerat, Christum Patrem iratum & infensum sibi sensisse, negat Cardinalis, percussionem hanc esse ab iratò Deò, aitque percussum dici à Patre, non quia Pater illum oderit, sed quia permisit occidi pro nobis. Ita Adamus Contzius super cap. 27. Matth. v. 46. quæst. 2. §. 9. *Temporariam inquit mortem DEUS Christo inferre permisit, ad hoc enim venerat. Sed non ab iratò DEO inflicta est, nec jussu. Punientis DEI signa expertus est, in pœna tamen amantis, & patientis exaltationem per illa aspera molientis.* Gemina his habet Fevardentius de Christò patiente in Theomach. l. 5. c. 8 & 11. quòrum summa est, *DEUM Patrem intimè & semper diligere Filium suum, uspotè sibi consubstantialem, coeternum, coequalem, sibi tam morigerum, &c. impossibile ergò esse, illum animum à dilectò Filio alienum unquam habuisse.*

§. 2. Verùm quanquam hàut diffiteamur, Christum absolute aciu se, & per se spectatum, minimè sub odium DEI cadere, quòum hac ratione, Pater eum non possit non intimè & semper diligere: Aliter tamen se res habet, quando ille consideratur relate, & in Officiò sub satisfactoriò, quatenus scilicet in judiciò DEI, totum genus humanum lapsum representat, & omnia omnium hominum peccata portat. Et tunc vi justitiæ suæ vindicativæ, Pater non potest non vadem hunc extremè odisse, utpotè peccatum & maledictum pro prævaricatoribus factum. Agnoscendum itaque est in unâ eademque Redemptoris personâ, admirabile illud misericordiæ & justitiæ divinæ temperamentum, secundum quod & amare intimè Filium sibi consubstantialem, & irasci eidem ob peccata generis humani in se suscepta, non repugnat.

§. 3. Opposita opinio contradicit Scripturæ, labefactat satisfactionem Christi, quam justitiæ DEI vindicativæ præstari oportebat, ac Socinianismo insignitè patrocinator, ceu prolixè demonstravit B. Dorscheus Theol. Zach. part. 1. cap. 9. p. 271. seqq. p. 286. seqq. Orthodoxam verò sententiam, quæ nostra est, ut reliqua taceam, etiam præsens hic locus confirmat, è quò ita argumentamur: *Quæ passio à Patre, peccatum in carne Filii condemnante, est profecta, illa ab irato DEO Filio inflicta est. Passio, quam Redemptor in assumptâ Humanitate sustinuit, profecta est à Patre condemnante in carne Filii pecca-*

tum, Ergo &c. Major probatur, quia condemnare aliquid in aliquo, est actus iræ secundum rigorem justitiæ vindicativæ, uti etiam patet ex emphasi vocis *κατακρίνειν* supra evoluta. Minor est in textu.

Πόρισμα VI.

Justificamur per satisfactionis Christi imputationem.

§. 1. Invenitur hoc per *πλήρωσιν ἑδικαιώματι* & *ἑ νόμου ἐσήμεν*. Intelligenda hæc verba esse non de impletione, quæ fit per habitum justitiæ nostræ inhærentis, sed quæ fit per justitiæ Christi imputationem, supra in exegesi probavimus. Quod observandum contra Pontificios, qui non tantum ajunt, intelligi hîc impletionem, per habitum justitiæ infusæ, sed etiam negant, nos justificari per justitiæ Christi imputationem, quam illi fictam & imaginariam esse, fingunt.

§. 2. Sed fingunt verè. Vera enim & realissima imputatio est, quia æstimatio in mente judicis talis est, quæ habet fundamentum in re, seu cui subest veritas. Fundatur autem hæc impletio *δικαιώματι* & *ἑ νόμου*, non in homine, sed extrà hominem, nempe in ipsò imputante, & imputationem promerente; est enim imputatio non secundum debitum, sed secundum gratiam Rom. 4. 7. 6. Et quanquam extrinsecâ denominatione dicamur justî per imputationem hanc, verè tamen nihilominus justî dicimur & sumus. Potest enim aliquid verè esse tale, etiam si per extrinsecam denominationem tale sit; quomodo actus ille transiens prævaricationis primæ Adami tice imputatur posteris, & quatenus ita imputatur, extrinsecè saltè eos denominat, verè tamen denominat, quia omnes in Adam ô peccaverunt, Rom. 5. 12. Ita Bellarmino lib. 2. de Justif. c. 4. dilectio est forma fidei extrinseca, à quâ tamen verè fit, & dicatur fides formata. Sic eidem & sociis justitia originalis, est donum supernaturale & extrinsecum, quod tamen verè denominavit primum hominem.

§. 3. Bel-

§. 3. Bellarm. lib. 2. de Justif. c. 7. regeat: *Imputari nobis Christi justitiam, ut per eam formaliter justii nominemur & simus, id cum recta ratione pugnare. Nam tametsi aliquando denominatio fiat à formâ extrinsecâ, quomodo res dicatur cognita per cognitionem, quæ est in mente, & paries dicatur visus per visionem, quæ est in oculo: tamen quum in aliquo duæ sunt formæ contrariæ, una inherens, altera extrinsecâ, sine dubio denominationem absolutam sumi ab inherente formâ potius, quàm extrinsecâ, idque simili æthiopi candida veste induti illustrare conatur. Resp. 1. Neminem nostrum unquam dixisse, nos Christi justitiâ imputatâ, formalitèr justos nominari & esse. Pontificiorum hæc falsa imputatio est. 2. Falsum est; justitiam inherentem, & justitiam imputatam, esse formas contrarias. Disparatæ sunt, at non contrariæ: contraria enim sunt sub eodem genere, ut albedo & nigredo, calor & frigus, par & impar: quod de justitiâ inherente & imputatâ verificari nequit. 3. Inter duas has formas, ea prædominans est, quæ imputata dicitur: indè quanquam etiam ab inherente inchoativè dicamur justii; docet tamen Scriptura, nos coràm DEI judicis tribunali, saltem ex imputatâ justitiâ justos esse, & dici, non tamen denominatione aliâ, quam quæ fit secundum *Πέντεται* Evangelicam.*

§. 4. Objicit porro Cardinalis L. all. *si per justitiam Christi nobis imputatam verè dici possumus justii & Filii DEI, ergò poterit etiam Christus per injustitiam nostram sibi imputatam verè dici peccator, &c.* Quod ille absurdum & blasphemum esse patat, nos minimè: Spectandus enim hic Redemptor noster est, non quis sit in se ac per se, sed quis sit in officio suo satisfactorio, cum universo onere peccatorum nostrorum in judicîo divinò sibi imputatorum, non secus, ac si ipse omnia in propriâ personâ commisisset; quâ de causa etiam Christus nostra peccata sibi ipsi tribuere non veretur Psalm. 40, 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Et Psalm. 69, 6. *DEUS tu scis insipientiam meam, & debita meâ à te non sunt abscondita.* Nisi Vas hic noster, in judicîo divino, pro peccatore reputatus fuisset, nunquam peccata sibi ullò modo tribuere potuisset. Agnoscit ergò ipse se peccatorem, eâ ratione, quâ peccata sibi tribuit. Tribuit verò ea sibi, propter factam imputationem judicialem: itaque quatenus ipsi peccata hæc imputata fuerunt, non potuit non pro peccatore

in iudiciò divinò, & ipse habere se, & haberi à iudice. Utrique ergo rectè dicitur, ipsum peccatum pro nobis factum esse.

§. 5. Et ut omnis dubitandi ansa præcidatur, adducimus emphaticum illum locum ex 2. Cor. 5. 21. *DEUS eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ubi abstractum pro concreto, cum insigni emphasi & energiâ positum est. Peccatum ergo, peccatorem omnium maximum denotat, quomodo etiam Christus, prout consideratur in officio suo satisfactorio, κατὰ τὴν ἐξουσίαν, hoc est, maledictissimus dicitur. Gal. 3. 13. Neque obstat, quòd Bellarminus ait: *Christum dici l. all. peccatum per tropum, quia hostia fuerit pro peccatò.* Nam 1. non opus est à propriâ significatione ad tropicam recedere. 2. urgem⁹ oppositionē ἀμαρτίας καὶ δικαιοσύνης Apostolicam. 3. Victimam piacularis factus est Christus, ex quo ipsi imputata fuerunt peccata, pro quibus victima factus est. Conf. El. 53. 6. Joh. 1-29. 1. Pet. 2. 24.

§. 6. Observandum denique contra Bellarmini oppositionem: Scripturæ non esse ἰσοδυναμίας, esse peccatorem, & esse filium Diaboli. Peccatores omnes in universum sunt, qui caro de carne nati: Neque tamen stylo & phrasi Scripturæ omnes filii Diaboli sunt, sed ii saltè hoc nomine veniunt, qui patrandis pro æreticis & malitiosis peccatis, Diabolum student imitari. Vide Matth. 13, 38. Joh. 8, 41. 44. Act. 13. 10. 1. Joh. 3. 8. Multò minus itaque sequitur, filium Diaboli illum esse, qui in se omnis omninò peccati expers ex alienò saltè peccato, sibi judicialiter imputato, peccator factus dicitur.

§. 7. Interim Bellarminus antequam Nostros super hoc capite blasphemix reos pronunciet, cum Scholasticis suis prius transigat, in quorum scriptis talia inveniuntur, quæ impeccabilitatem sanctissimæ Christi Humanitatis directè evertunt: quæ notata vide apud B. D. Feuerborn, Syntagm. sacr. disquisit. Part. 3. p. 557. Concludimus aureis Lutheri nostri verbis ex comment. super ep. ad Gal. c. 3. tom. 4. Jen. Lat. fol. 90. *Dicat aliquis: valdè absurdum & contumeliosum est, Filium DEI appellari peccatorem & maledictum. Resp. Si vis negare eum esse peccatorem & maledictum, negato etiam passum, crucifixum & mortuum. Non enim minus absurdum est dicere, Filium*

DEI

DEI (ut fides nostra confitetur & orat) crucifixum, penas peccati & mortis
sustinuisse, quam peccatorem aut maledictum dicere. Si verò non est ab-
surdum, confiteri & credere Christum crucifixum inter latrones, neque
absurdum sit eum dicere maledictum & peccatorem peccatorum. Certè
non sunt inanes voces in Paulò: Christus factus est pro nobis maledictum.
DEUS fecit Christum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum, ut
efficeremur justitia DEI in ipso 2. Cor. 5. Ad eundem modum vocat eum
Johannes Baptista agnum DEI, tollentem peccata mundi. Ipse quidem
innocens est, quia est immaculatus & incontaminatus DEI agnus, sed quia
portat peccata mundi, premitur ejus innocentia peccatis & reatu totius
mundi. Quaecunque peccata ego, tu, & nos omnes fecimus, & in futu-
rum faciemus, tam propria sunt Christi, quam si ea ipse fecisset. In
summâ, oportet peccatum nostrum fieri Christi proprium
peccatum, aut in æternum peribimus.

Hæc Lutherus.

JESU Nostro, cruento Redemptori,
gloria!

Alta petit tua mens, MONTANE. Heliconia
tempe
Sunt cordi, & quod habet celsior ipse Sion.
Perge: Helicon favet, atq; Sion. Sed & ipsus
Olympus
Certanti tandem quanta brabæa dabit?

Eximio DN. BERGEMANNO,
Amico plurimum dilecto,

Theologica feliciter tractanti &
defendenti

accinebat L. M. Q.

PRÆSES.

Quid te condeceat, Roseto
in Almo,

Magno Theologo facem ferete,
De ceceptis studiis spei tulisse,
Ipsam commoneat te, amice a-
mande,

Cognomen proavum, patrisque
chari.

Ut nempe effodiunt metalli-
cidae

Et terrae latebris, feruntque Gazas,
Et prosunt populis virisque multis:

Sic nunc eruere è sacris fodinis

Adnitare sacras opiniones

Ex voto facis hoc, lucrando
Gazas,

Quas auferre nequit manus ma-
lorum,

Nec delere valet cohors minatu,
Ergo plausibili, sacro in Ro-
seto,

Applaudo ingenii tui talento,

Et testes refero meos phaleucos

*Tibi, mi per dilecte Dn. ad finis,
addidit.*

M. ANDREAS WESTPHALUS

Symmysta in Eccl. Neo-Rup. patr.

Paupertas, Odium, Contemptus, Gratia nulla:
Præmia sunt ejus, magnò sudore juventæ

Qui instillat placidas artes in pulvere Ludi.

Hæc bene libravit BERGMANNUS pectore secum,

Nec voluit cumulum mercedis prendere talem:

Maluit Aonidis sectari splendida Castra,

Et magno à Magno Zelo stimularus ad Arma,

Horrendos hostes debellat fortiter, ut VIR.

O bene! Proposuit hoc gratum est homini que DEO que,

Quippe Cui semper non displicet hocce duellum.

Quapropter pugna, Te Jovæ dextra juvabit,

Atque Tibi pariet solemnes Musa triumphos,

Et palmam dignam donabit Arena Sopherum.

In honorem & amorem Præ-Eximii Dn. Respon-


dentis, Philosophiæ Candidati dignissimi, &


SS. Theol. Studiosi doctissimi. Amici, Conterranei

& Adfinis mei honorandi, facere volui, debui

Valentinus-Godofredus Helwigius

Havelbergâ-March.





§. 3. Ratio in contrarium allata, nullius momenti est. Scriptura enim utrumque dicit: & mittere & mitti supremū DEUM; utrumque ergo verum, & divinā fide acceptandum est. Missio passiva, ut sic & præcisè sumpta, nihil amplius importat, præter duo ista: *habitudinem scilicet missi ad eum, à quo mittitur, & habitudinem missi ad terminum, ad quem mittitur*, ut recte Thomas docet p. 1. qv. 43. art. 1. Neutra $\sigma\chi\epsilon\iota\varsigma$ dependentiam aliquam per se infert. Aut si hanc per se inferret, semper inferret eam; quod fallum, quum & æqualis ab æquali, & superior ab inferiori mitti possit. Distinguendum proinde inter *missionem authoritativam sive potestativam, quæ sit secundum imperium*, quā ratione inferior à superiori mittitur; & *liberam ac æconomicam, seu dispensativam, quæ sit ex mutuo consensu*, & esse potest inter potestate & dignitate æquales. Et hoc modò etiam in divinis mittitur persona à personā, à quā procedit. Processio enim missionis fundamentum est. Tantum itaque abest, ut missio hæc Divinitati Messie derogat, ut potius æternam ejusdem generationem, ac summam Divinitatem arguat ac præsupponat.

Πέρομα IV.

Christus verè satisfecit justitia divina pro generis humani peccatis.

§. 1. Dicitur enim in textu, DEUM Patrem condemnasse in assumptā Humanitate Filii peccatum. Quomodo intelligendum hoc $\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\kappa\epsilon\iota\mu\alpha$, expositum supra est in evolutione $\epsilon\mu\Phi\acute{\alpha}\sigma\epsilon\omega\varsigma$ vocis $\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\upsilon\varsigma$. Pater autem è dictis, $\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\kappa\epsilon\iota\mu\alpha$ illud esse actum DEI Patris judicialem, tum contra proprium Filium, peccata generis humani portantem; tum contra peccatum ipsum, in carne illius exercitum. Contra Christum processit hic actus judicialis, in quantum eum, peccatum pro nobis factum, Pater nostri loco condemnavit, inque condemnato vindictam severissimè exercuit. Contra peccatum verò ipsum, dum latā de eo, veluti tyranno sententiā damnatoriā, pœnas de ipso sumpsit, illudque cum Filio crucifixit.

§. 2. Oppōnenda hæc sunt *Sociniani*, quorum pestilentissimus

